




Dissertatio juridica inauguralis de jure virginum

<https://hdl.handle.net/1874/291127>

3

DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
JURE VIRGINUM,
QUAM,
ADSPIRANTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,
JOANNIS DAVIDIS HAHN,
Philos. & Med. Doct. Philosophiæ, Physices experimen-
talis & Astronomiæ Professoris Ordinarii,
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, atque
Nobilissimæ FACULTATIS JURIDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE honoribus &
privilegiis rite ac legitime consequendis,
Eruditorum examini submittit
OSWALD TULLEKEN, HATTEMIO GELRUS.
ad diem 22. Aprilis, H. L. 2. S.



TRAFECTI AD RHENUM,
EX OFFICINA IOANNIS BROEDELET,
ACADEMIAE TYPOGRAPHI. MDCCLV.

DISSERTATIO JURIDICA

IN AUGURALIIS

DE

JURE VIRGINUM

W. J. L. A. B. A. T. I. S. J. O. H. A. N. N. I.

JOANNIS DAVIDIS HÄHN

FRONTIS PAGES

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

AMERICAN ACADEMY OF ARTS AND LETTERS

PHILOSOPHY DEPARTMENT

UNIVERSITY OF CHICAGO

OSWALD TULLER

OSWALD TULLER

OSWALD TULLER

CIVITATE

MARSHALL

ACADEMIA

ACADEMIA

ACADEMIA


ACADEMIA

ACADEMIA

TRAJECTI AD RHENUM

EX OFFICINA JOANNIS BROEDER

ACADEMIAE TYPOGRAPHI. MDCCCLV.



VIRIS NOBILISSIMIS

ATQUE

AMPLISSIMIS,

WILHELMO JOHANNI
TULLEKEN,

FEUDORUM DUCATUS GELRIÆ ET COMITA-
TUS ZUTPHANIÆ GRAPHIARIO, PATRI
SVO CARISSIMO ET OMNI HONORIS AC
PIETATIS CULTU PROSEQUENDO.

NEC NON

OSWALDO TULLEKEN,

CIVITATIS HATTEMENSIS PRÆTORI PRI-
MARIO ET CONSULI, AVO HONORATISSIMO
AC PLURIMUM COLENDO.

D. D. D.

OSWALD TULLEKEN.

VERBIS NOBILISSIMIS
PREFATIO

ALOE

...ortan m...
...vencm...
...WILLIAM...
...rum adeo...
...quavis...
...TRIPON...
...in...
...Mini...
...reiter...
...hujus...
...m...
...Cal...
...no...
...pro...
...facile...
...O...
...quo...
...G...
...m...
...re...
...h...
...h...
...m...

Ad

A

P R Æ F A T I O.

Norsan miraberis, Lector benevole, me adhuc Juvenem *de Juribus Virginum* scripsisse; sed quid magis decorum est Juveni, quam jura & privilegia Virginum perquirere? Jura scilicet, quorum adeo tenaces sunt Virgines, ut crimen (novum quamvis, eheu! tamen, crede mihi, horrendum maxime) *lesæ nimirum virginitatis* perpetrare illos infusos & infictos existiment, qui illarum prærogativas fusque deque habent, aut non satis reverenter adorant. Mihi sane alia eaque, si fidem habes, generosior mens residet; quippe bellum, ut belli homines ajunt, generis humani sexum venerabundus exosculator, nec tam inepte *μισάνθρωπος* sum, ut Virgineo choro, illi scilicet illibatæ castitatis ordini non multum privilegii præ maribus ultro vellem concedere. Ast uti Virgines teneriores sunt, profundasque quæstiones detestari solent, hinc & mihi facile veniam dabunt, si unam vel alteram dissertationis thesin non satis sedulo examinasse, sed levi tantum brachio tetigisse videar. Tantum enim abest, ut omnia, quæ virginitatem constituunt verbosius demonstrare animum induxerim, ut ne quidem *Definitionem* Virginitatis accurate proposuerim; tum quod ejusmodi definitionem dare res nimis ardua & anceps sit; tum quod mea Juvenilis ætas postulaverit genus & speciem hac in re haud nimis investigare, ne & Virginum & meæ modestiæ bellum indixisse videar. Ideoque fatius duxi hanc materiam velo, quo Virgines quondam utebantur, anxie occultare, quam folia ficulnea illotis, ut ajunt, manibus temere detegere: Manum igitur de tabula.

A

Ad

P R Æ F A T I O.

Ad alia vero themata si me convertam, prohi pudor!
 quantum est quod ignoro. Ast nemo forsan castius *de jure*
Virgineo scribit, quam qui, quæ Virginum sunt, multa
 intacta relinquit. Potuissem equidem varias adhuc, quæ
 sese in hac materia suggerunt, quæstiones ad incudem
 revocare; Potuissem enim *de pretio & dignitate Vir-*
ginitatis differere ac ex historia belli tricennalis casum
 illum examinare, quo in expugnatione civitatis Magde-
 burgensis haud exigua Virginum copia ad conservandam
 castitatem in Albim sese præcipites dederunt, atque
 merito secundum principia juris Naturalis disquirere,
 num recte fecerint? Potuissem porro de professione
 Monialium, quas Beguinæ cognominant, itemque de
 Virginibus Canonicis plura addere: Potuissem denique
 multis adhuc aliis exemplis tum ex antiquitatibus & ritibus
 Hebræorum & Romanorum aliarumque gentium,
 tum ex historia mediæ & recentioris ævi, tum ex variis
 variorum locorum juribus & institutis præsentem mate-
 riam illustrare. Sed memini me dissertationem Acade-
 micam scribere, non tractatum. Tu itaque L. B. & meam
 dissertatiunculam pro more nostro Academico acci-
 pe, & quæ in meo tenui ac juvenili hocce conamine
 minus accurate sunt proposita, pro arbitrio tuo cuncta
 corrige, sic vale & fave.

DIS-



DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS.

DE

JURE VIRGINUM.

CAPUT PRIMUM.

De Virginum conditione ac qualitate.

§. I.

Ety mologiam vocis prius ut investigemus o- *Derivatio*
portet, de qua inter DD. controversia; sunt *& definitio.*
namque qui vocis originem repetunt a *vir-*
tute, Calv. in Lex. Jur. voce Virgo. quam
virgines præcipue colere tenentur. Alii, a
viridiorè etate, alii, quorum sententia plu-
rimum arridet a *Viro* deducunt, quod Virgo nubilis vi-
ro conjungi potest. Hæc de derivatione, quod ad defi-
nitionem, eam Innoc. III. c. fraternitatis 6. x. de frigid.
jam dedit quam hic recitarem, nisi Juvenilis verecundia
prohiberet.

I I.

Uti hominum status ac qualitas in orbe terrarum di- *Divisio.*
versa est: hic cernuntur divites, ibi egeni; ita in vir-
gini-

ginibus variae qualitates contemplandae sunt. Alia virginitas potens, alia immatura, illa desponsata, haec sponso carens. Nec etiam vox *Virgo* in jure nostro eam solam denotat, quae nondum nupta est, sed plures aliquando habet significationes. Jam nupta nominatur *Virgo* in *l. un. Cod. de raptu virgin.* Imo viduam non multum ab hac discrepare docet *Nov. 2. Mulierem, quae inviolatum Mariti thorum servat, haud procul a VIRGINITATE collocamus.* Dantur & alii juris textus, ubi vox *Virgo* varie sumitur *l. 81. §. 1. ff. de leg. 3. l. 13. de V. S. ibique Goedd.* qui affirmat, quod apud majores *Virgo* & *mulier* indistincte dicebatur.

Hac laxiore vocis significatione, quamvis pleraque tractanda saepius in *Virginibus*, stricte sic dictis obtineant, propterea usi sumus, ut paulo latius evagemur, eaque attingamus quae non tantum *virgines illibatas*, sed totum sexum contemplantur.

I I I.

*Virginitatis
nota.*

Dum *Virginitas* sit status intactus seu incorruptus. *Richard. in fin. dist. 33. Kirckm. de Virgin. c. 2.* recte concluditur haud esse *virginem*, in qua signa *Virginitatis* non exstant. In *Theologorum Disputationem de Deut. 22. v. 13. & seqq.* minime me vertam, nec *Clar. Summermanni* verba adjungam ex *disp. de ver. & matr. caus.* malo enim apud eum omnia ista legi: praesertim cum necdum constet an infallibilia dentur *Virginitatis* signa: quam rem *Medicis* discutiendam facile relinquo, illisque qui eam per honestas foeminas & obstetrices explorari posse asserunt tam ex jure civili *l. 1. §. 10. ff. de ventr. insp.* quam canon. *C. causam. X. de prob.*

I V.

*Earum con-
ditio.*

Si recte *Virginum* consideremus conditionem, in plurimis eam viris meliorem, in multis vero deteriolem hanc inve-

inveniemus: quod ad posterius illud ex jure civili l. 9. ff. de statu hom. l. 2. ff. de de Reg. 7. ibique Bronkh. Gothof. ad l. 2. ff. de jud. atque ex Codice sacro. Num. 27. 8. satis perspicuum est: Verum enim vero Virginum jus in causis civilibus maribus multo melius esse quis ignorat? Citius enim viro pubescit, citius matrimonium inire, citiusque de bonis suis testari potest: Quisnam hoc non fatebitur, simulac congregationes intret domesticas, quas *Assemblées* nominamus! ubi Virgines ex oculorum nutu a bellis hominibus (vulgo *Zalet Jonkers*) coluntur & observantur de quibus Martialis l. 3. epigr. 63.

Cotile BELLUS HOMO es, dicunt hoc, Cotile, multi;

Audio: sed quid sit, dic mihi, bellus homo?

BELLUS HOMO, est, flexos qui digerit ordine crines,

Balsama qui semper cinnama semper olet.

Cantica qui Nili, qui gaditana susurrat:

Qui movet in varios brachia vorsa modos.

Inter fœmineas tota qui luce cathedras

Desidet, atque aliqua semper in aure sonat.

Qui legit hinc illinc missas scribitque tabellas,

Pallia vicini qui refugit cubiti:

Qui scit quam quis amet: qui per convivium currit:

Hyrpini veteres qui bene novit avos:

Quid narras: hoc est, hoc est HOMO cotile BELLUS

Res petricosa est, cotile, bellus homo.

Ad Virgines redeo. Quæ privilegia! quanta auctoritas Virginibus Vestalibus fuit! Honores magnos, ait Plut. in Num. p. 66. in fin. Numa iis tribuit, veluti, quod viro patre testari possunt, atque alia facere sine auctore eo modo & jure, quo matribus trium liberorum permissum. Item licetor pracedit exeuntes, quod si reo, ad supplicium qui ducitur, fortuitu facta sint obvia, is pœna liberatur. Alia nobis promit Lips. de Vest. C. II. & Scheff. de re vehic. l. 2. C. 17. p. 215.

DISSERTATIO JURIDICA

V.

An mulier
sit homo.

Maculam istam qua præprimis a Cujacio contaminan-
tur, sicco pede non transeundam censeo. Hic enim in
obs. 6. 21. ut & Scip. Gentil. 1. parerg. 3. sententiam su-
am, Mulieres nimirum non esse homines, probare ten-
tat ex l. 3. §. 5. ff. de pœn. cujus verba adjungere lubet. *Qui
abortionis aut amatorium poculum dant, etsi dolo non faci-
ant, tamen, quia mali exempli res est, humiliores in metal-
lum, honestiores in insulam, Amissa parte bonorum relegan-
tur: quod si eo mulier aut homo perierit summo supplicio ad-
ficiuntur.* In hoc §. 5. Paulus Jctus, agens de pœnis
eorum, qui abortionis aut amatorium poculum mulie-
ri præbent, in fine adjecit, *quod si eo mulier aut homo
perierit.* Dissidentes in hac periodo Mulierem & Ho-
minem sibi invicem opponi putant, quia *adverse*, ut ge-
nus a genere & species a specie distinguuntur. Ridiculum
profecto! Illo enim loco homo a muliere non distin-
guitur, quasi mulier proprie homo non esset, sed rela-
tio fit ad membra disjuncta præcedentis orationis, quod
quilibet facile deprehendere potest. Jctus enim de po-
culo abortionis aut amatorio locutus erat, *quod si, in-
quit eo (poculo sc. abortionis) mulier, aut amatorio ho-
mo (nam æque viro ac mulieri poculum amatorium da-
ri potest) perierit summo supplicio afficiuntur.* Est & alte-
ra hujus §. 5. interpretatio, qua refertur vox *homo* ad
foetum in utero animatum, quia sexus discrimen adhuc
ignoratur, marem sc. an foeminam mulier sit paritura.

CAPUT SECUNDUM.

De Virginum Sponsalibus ac Nuptiis.

§. I.

Sponsalia a spondendo dicuntur, quia utriusque paren-
 tum duabus sponsonibus celebrabantur: sponsi nimi-
 rum patri, roganti *Spondes gnatum tuam uxorem filio meo?*
 annuebat pater sponsæ, *spondeo*: deinde sponsæ patri,
 roganti, *spondesne te gnatum meam in matrimonium accep-
 turum?* replicabat alter, *spondeo*. A sponsa autem differt
virgo pacta & virgo sperata, quarum illam pacto quis
 petit, hanc vero petere quis destinaverat *vid. Non. Mar-
 cell. de prop. serm. c. 5. §. 69. Arnob. adv. gent. l. 4.*
 sunt autem sponsalia desinente Florentino *in l. 1. ff.*
h. t. futurarum nuptiarum mentio ac repromissio, quamvis
 latiore sensu *Cic. ad Q. fratrem l. 2. Ep. 6.* hæc acci-
 piat pro convivio sponsalicio, quod Pater sponsæ dat
 sponso. & *in l. 1. Cod. Theod. & Inscript. Tit. si provinc.*
Rector. & c. sponsalia significant arrhas sponsalicias. De-
 finitionem accurate contemplantibus nobis occurrit,
 quod ipsa spem nuptiarum inducat, quæ consistere ne-
 queunt nisi modo legitimo & secundum necessaria fue-
 rint contracta requisita, quorum sex statuere licet (1) ut
 adsit consensus tam virginis, quam ejus, cui nubit,
 (2) ut ineantur secundum leges (3) habeant justam æta-
 tatem (4) sint cives Romanæ (5) adsit parentum con-
 sensus, vel eorum, quorum in potestate sunt (6) deni-
 que ut adsit *ἱερολόγισα*, seu benedictio sacerdotalis.

*Derivatio
& definitio*

I I.

Sponsalia, ut & nuptias nullius momenti fore, quæ
 sine consensu aut sponsi, aut sponsæ sunt inita, meri-
 diana

*Utriusque
consensus.*

diana luce clarius est, quippe basis ac fundamentum matrimonii a solo consensu dependeat, quod nobis e sacris paginis *Gen. 24. v. 17.* & Jure civili aperte satis declaratur *pr. f. de nupt. l. 11. ff. de spons.* qui tamen consensus inter absentes æque ac præsentis, per litteras ac nuncium celebrari potest *l. 12. pr. ff. de sponsal. Mull. de ann. promub. l. 4.* Nec interest an tacite (modo serio non jocosè) voluntatem suam Virgo exprimat *l. 6. ff. de sponsal.* Consensus per Jocum initus nullius momenti est, si vero copula carnalis intercesserit, pro matrimonio pronuntiandum esse docet *Carpzov. l. 2. def. 25.* Nullius porro momenti consensus est quo ad filiam, si parentes eam Juveni promiserint, nisi majorennis facta consentiat; Juri enim naturæ adversatur, virginem ei nupturam, quem nunquam amavit *Carpz. l. 2. def. 20.* quamvis filiabus, quas despondebant patres, Jure Romano ita demum concederetur licentia dissentiendi, si datus sit sponsus indignus moribus, vel si pater turpem elegerit *l. 12. §. 1. ff. de sponsal.* Hinc si pater omnem filiæ suæ occasionem nubendi impedit ob dotem, a Magistratu ad consensum præbendum cogi potest *l. 19. ff. de ritu N. quamvis filia sit locuples l. ult. C. de dot. prom.* at tamen plerorumque opinio est, hanc legem intelligendam esse de filia paupere, quod male, generaliter enim lex ista loquitur, eoque magis, quia agitur de patre, qui promisit dotem filiæ habenti bona materna, qualis filia minime egena præsumi potest: Nec obstat *l. 5. §. 7. ff. de agnos. & al. lib.* ubi pater filiæ locupletis alimenta præstare non teneatur. R. alimenta & dos inter se discrepant; illa enim ex necessitate, ne liberi fame pereant, hæc potius ad utilitatem debetur *l. 19. ff. de de R. N.* adducunt etiam alia dissentientes, de quibus omnino videndus *Voedt. ad Tit. ff. de ritu Nupt. n. 11.*

III.

Omnes enumerare leges, quibus nuptiæ aut prohibentur aut jubentur si vellem, Sisyphi saxum volverem; necesse enim est, ut secundum legum præcepta istæ ineantur, ne promiscue in libidinem bestiarum more ruant, sed decus potius & honestatem & legum observationem spectent *pr. & §. 1. F. de nupt. Struv. exerc. 29. th. 27.* si omnes Romanorum ritus in nuptiis investigarem, unde incipiam ubi desinam, de usu, confarreatione & comentione habet Nieupoort *pag. 478. edit. 2. de annulo pronubo. Plin. Hist. Nat. 28. c. 1. de flammeo & Zona Lucan. II. v. 59. Juven. 6. v. 224.* In aliis regionibus aliæ iterum fuere ceremoniæ: Manum manui jungebant Persæ, ex eodem poculo bibebant Galatæ: Panem gladio divisum edebant Græci: qui etiamnum hodie in more habere dicuntur, ut sponsarum colla pridie nuptiarum, filo dimetiantur, & mane eodem filo explorent officione mariti sponsus sit functus; Volunt enim ex congressu corpus propter calorem dilatari, & præsertim collum per quod jugulares arteriæ ad caput descendunt, idque tumescere faciunt *Alex. ab Alex. gen. dier. c. 5. Ad quem morem Catullum in Epith. Pelei Thetidor. v. 376. alluisse ajunt,*

III.
Secundum
leges & lo-
ci consuetu-
dinem.

*Non, illam nutrix orienti luce revisens,
— Hesterno collum poterit circumdare filo.*

IV.

Quod ad sponsalia, hæc a primordio ætatis effici possunt, si modo id fieri ab utraque persona intelligatur, i. e. si septem annis non sunt minores; quæ tamen sponsalia, si virgo ista sit pubes facta, aut approbare, aut ab iis decedere potest, quod si tamen ab iis deceden-

III.
Juxta
ætas.

di sit voluntas, nulla approbationis signa, ut oscula, amplexus, conversatio familiaris similiaque intervenire debent Lauterb. *ad tit. ff. de Sponsal. n. 43.* Non autem eadem ætatis ratio obtinet in nuptiis quas Virgines antequam puberes factæ sint, contrahere nequeunt; finis enim & scopus matrimonii est procreatio, sobolis Gothofr. *ad l. 220. §. ult. de V. S.* Virgines autem censentur puberes post annum duodecimum, quia tum temporis plerumque pubescunt Macrob. *in somn. scip. c. 6.* hinc iniquum videtur si magna annorum disparitas inter sponsum & sponsam existet, quamvis nostris temporibus non raro contingat; quod Juvencula cum seni, qui ut inquit Lauterb. *ad tit. ff. de Sponsal. p. 48 rō vel- le non vero rō posse habet* & Juvenis cujus lanugo nondum tondenti cadit, cum anu effæta nuptias celebrare non abhorreat. Non convenit inter Jctos, quænam causa sit, ac ratio, cur Virginibus sit indultum, quod biennio Citius maribus ad matrimonium admittantur, sunt qui rationes adducunt, quod prius efficiantur puberes, quia naturæ vel temperamenti calidioris esse censentur. Reperiuntur alii, quos inter Accursius nomen proficitur, qui inde rationem derivant, quod exilia & infirma citius ad generis sui maturitatem perveniant, quam robusta; mirum profecto quum talia scribens *in Gloss.* pulcherrimi sexus iram non metuerit,

Ut lolium segetes crescendo vincit, & alte

Emicat hortorum carduus inter opes.

Fæmina sic maribus Citius consurgit in auras:

Fæmina non ullum ferre parata modum.

Nimirum prava crescunt velocius herba:

Fæmina quas inter communeranda venit.

Sunt alii, qui inde rationis originem reperunt quod virgo nuptura transeat in potestatem mariti, idcirco biennium ei indultum; nil enim intererat utrum in patris,

an

an mariti potestate foret. Sed illorum sententiam amplector qui statuunt plus vigoris in mare, quam femina ad sobolem procreandam requiri, Kornman. *de Virg. Jur. C. 4.*

V.

Quia cum servis & peregrinis nullæ sint justæ nuptiæ, *l. 3. Cod. de incest. nupt.* sequitur manifeste, eas a civibus Romanis esse celebrandas. Jure vero hodierno connubiorum jura sunt communia, idcirco Virginibus nostris cum diversæ nationis adolescentibus inire matrimonium licet, qua tamen in re leges nostræ illud Virginibus jus indulgent, quod Virgo ignobilis nobili nubens nobilitatis privilegia acquirat. *l. 8. ff. de Senat. l. 13. Cod. de dignit.* Feltman. *in tract. de tit. hon. l. 2. c. 9. §. 1.* hinc eodem Titulo, quo maritus salutabitur, & ad talis Virginis liberos ista nobilitas descendet, ipsaque post obitum mariti, quamdiu plebejo non copulatur, consecutam nobilitatem retinebit. *d. l. 8. in fin. ff. de Senat.*

IV.

Ut sint ci-
ves Roma-
na.

VI.

Videamus, quinam fortiendus exitus, si parentes de virginis matrimonio inter se dissentiant. Dum patri jure olim Romano indultum est liberos aut tollendi, aut exponendi, uxorem repudiandi, multo magis concludendum arbitror Patri tantummodo esse potestatem de virginis matrimonio judicandi, nuptiasque abnegandi, nullamque rationem nisi SIC VOLO SIC JUBEO, STAT PRO RATIONE VOLUNTAS reddendi *Schneid. n. 2. n. 39. J. de nupt.* Hoc vero deficiente auctoritas ista matri & proximis consanguineis indulta est. *l. 8. & 20. Cod. de nupt. l. 6. ff. de Spons.*

V.

Consensus
eorum quo-
rum in po-
testate est.

VII.

*An ratiha-
bitio patris
matrimoni-
um faciat
retro legiti-
mum.*

Quodnam vero jus obtineat, si pater filiae conjunctio-
nem, in qua prius dissenserat, dein ratam habuerit,
elapso puta anno uno aut altero, inter Jctos haud con-
venit, quaestionisque Cardo in hoc potissimum verti-
tur, an & hac in causa ratihabitio patris ad initium actus,
quem confirmat, retrorahatur, i. e. an subsequens ille
patris consensus, quo ratam habet filiae suae matrimo-
nium, vires suas retro exferat ad initium conjunctionis,
ita ut liberi ante ratihabitioem nati fiant legitimi. Ne-
gantium sententiam ut *Bacchor. ad Treutl. vol. 2. disp.
6. th. 5. lit. c. Vinn. ad pr. ff. de nupt. n. 6. & Coccej. in
ff. Controv. ad tit. ff. de R. N. l. 3.* potissimum mihi
amplectendam censeo, quia hoc evidentissime patet tam
ex jure veteri *l. 11. ff. de statu hom. l. 13. pr. ff. de
his qui not. inf. l. 18. ff. de ritu N.* quam ex jure novo
pr. ff. de Nupt. Cujus verba adjungam. *Dum tamen si filii
familiarum sint, consensum habeant parentum, quorum in
potestate sunt. Nam hoc fieri debere & civilis & natura-
lis ratio suadet, in tantum ut jussus parentis praecedere de-
beat.* Quae sola ad confirmandam sententiam nostram
sufficiet. Hoc enim loco Justinianus filios, in contra-
hendis nuptiis per rationem civilem, naturalemve indi-
gere dicit consensu parentum quorum in potestate sunt,
in tantum, ut jussus parentum praecedere debeat. Non
urgeo hoc loco vocabulum *jussus*, quo utitur Imperator,
constat tamen *jussum* non illic proprie sed improprie su-
mi pro consensu quovis; Plura attamen nobis objiciun-
tur ab *Hub. ad Tit. ff. de Nupt. §. 10. & ad Tit. ff. de
R. N. §. 5.*

VIII.

VI. *Ultimum nuptiarum requisitum est benedictio Sacer-
dotalis Nov. Leon. 74. & 89. ut autem matrimonium
inde*

inde plenum habeat effectum, requiritur ut ea in templo & quidem per trinam proclamationem interposita regulariter septimana ex suggestu publico fiat C. 13. X. de presunt. & proclamatio hæc non eo tantum loco, ubi nuptiarum festivitas celebratur, est facienda, sed in illa quoque ecclesia, ubi novi conjuges nati & educati sunt, quæ tamen solennitas ad matrimonii essentiam non spectat Wesenb. ad tit. ff. de R. N. n. 5.

I X.

Quomodo ineuntur sponsalia, nuptiasque contrahuntur, jam satis me monuisse arbitror, restat ut ad ea, quibus dissolvuntur, accingar. Ista autem fiunt irrita. (1) Errore, tum circa qualitatem substantialem, veluti in personam, ut puta, si Virgo contrahit cum Titio, quem putabat esse Pamphilum l. 9. & 14. ff. de contr. empr. Gen. 29. §. 23. & seqq. ubi nobis exemplum suggerit JACOB. Tum circa qualitatem essentialem, scil. inhabilitate, & impotentia procreandi l. cum auth. seq. Cod. de repud. l. 39. ff. de jure dot. qualis impotentia nec in Juvene, nec in virgine exstare debet (ex. gr.) si ille tam frigida sit naturæ, ut mariti officio fungi, hæc autem nimis arcta sit, ut maritum pati nequeat l. 14. §. 7. ff. de Edil. edict. ibique Gothofr. imo dissolvuntur ista sponsalia jure etiam canonico, si, ut ait Innoc. III. c. fraternitatis X. de frigid. adeo arcta est, ut nulli possit carnaliter commisceri, nisi per incisionem, aut alio sibi modo violentia inferatur non solummodo levis, sed forte tam gravis, ut ex ea mortis periculum timeatur (2) metu, tum Virginis Carpz. l. 2. def. 28. tum Juvenis Ulp. in l. 3. ff. ex quibus caus. Maj. Cujus metus talis esse oportet, qualis in constantem cadit virum. Hinc dissolvuntur sponsalia, quæ iniit Juvenis, de nocte in lecto virginis repertus a parentibus aut cognatis, metuque armorum coactus, ut sponsalia sua subsignaret manu, cujus ex-

Quot mo-
dis dissol-
vuntur.

emplum elegans nobis suppeditat J. Cats *Huwelyksdeel* pag. 41. (3) ob luem Veneream morbumque contagiosum aliamque insignem deformitatem (4) ob defloratam pudicitiam, quæ tamen de sponsa tantum est intelligenda, quia gravius illud delictum in virgine quam in juvene esse censetur; Hinc non silendum Jus, quod investram, Virgines, securitatem latum est, qui enim honestam virginem sine vi stupravit, punitur aut publicatione bonorum dimidia, aut fustigatione cum relegatione §. 4. *F. de publ. Jud.* Quod ad Jus hodiernum stuprata prius agit civiliter ad alimenta infanti præstanda, dein vero ut stuprator eam ducat, si vero nolit, ut juxta facultates patris stupratæ eam dotet *Ludov. in tit. ff. de R. N. §. 16.* Qui vero vos libidinis explendæ causa vi rapuerit, gladio punitur *l. un. Cod. de rapt. Virg.* immo leges nostræ vobis nontantum, quin imo parentibus, cognatis, tutoribus & curatoribus privatam indulgent vindictam, ut raptorem, & eos, qui ipsi præbent auxilium impune occidere (nullibi quod scio in toto jure tantum privatæ vindictæ permitti) liceat.

CAPUT TERTIUM.

De Virginum ultimis voluntatibus.

§. I.

Definitio.

Dum in ultimis voluntatibus *testamentum* potio-rem obtineat locum, ut de hoc etiam prius moneamus, conducet, quod est, referente Modestino, *voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit l. 1. ff. qui testam. fac. poss.* hinc impubi Virgini nullam esse testamenti faciendi potestatem recte affirmatur, quippe deficiente voluntate, quæ est necessarium

farium testamenti requisitum l. 33. ff. de hered. instit. Virgini enim impubi non id est mentis iudicium, neque ea ingenii facultas, ut pro iure legibusque de bonis suis disponere posset *pr. §. quibus non est perm. fac. test.* In data definitione si oculos ad vocem *nostra* infigamus, facile comperiemur testamentum non posse ab alterius arbitrio alienaque voluntate dependere, idcirco impubes virgo nec cum auctoritate Tutoris patrisque consensu testamentum recte facit l. 72. ff. de hered. instit.

I I.

In condendis testamentis Virgines gaudere majori privilegio maribus, quilibet fatebitur lubens, simulac mecum consideret annum, quo huic negotio habentur habiles. Scimus enim mares minime ad hoc laudabile munus admitti, nisi per quatuordecim annos suam propagaverint ætatem l. 5. ff. qui test. fac. poss. Non autem eadem ætas in Virgine spectatur; huic enim licentia ac potestas testamenti condendi est permilla, quamprimum duodecimum excefferit annum d. l. 5. *Cajus l. 1. §. t. 7.*

I I I.

Voluntas siquidem hominis, ut ait Ulpianus l. 4. ff. *An prius de adim. & transf. leg.* ad supremum ulque vitæ habitum est ambulatoria, ita etiam virgo omni tempore a priore voluntate potest recedere, prius factum testamentum rescindere, cancellare, heredem alium nuncupare &c. quin etiam in ipsa mortis hora. *Vinn. ad §. 2. §. quibus in test. inf.* (dummodo mentis compossit, nec ab ullo affinium proximo minis, aliisque nugis eo ducatur, ut præ metu voluntatem mutet) tum enim prius factum testamentum non corrumpitur *Hein. elem. Fur. ad tit. §. de test. ord. Voedt. ad tit. ff. qui test. fac. poss.*

IV.

I V.

*De legatis
virginum.*

In legatis illud etiam virgines jus obtinent, quod sine curatoris consensu non solum rem suam, sed & alienam, (dummodo scientes rem alienam esse) possunt legare, quo harum heres aut eam rem legatario tradere, aut rei legatae æstimationem præstare debet. §. 4. *F. de leg. l. 39. §. 7. ff. de leg. 1. l. 14. §. fin. ff. de leg. 3.* Sed quid? si rem alienam suam esse putans Virgo legaverit? tum legatum non aliter valet, nisi ad pias causas sit relictum *d. l. 14.* Quod de legatis diximus idem & in fideicommissis valet adhibitis quinque testibus §. *ult. de fideic.* Exceptio autem est, si forte duo aut plures ex Virginis heredibus sint præsentis, eosque roget Virgo, ut rem certam huic vel illi restituant, tum enim valet fideicommissum, *l. fin. Cod. de fideicom. §. fin. F. de fideic. hered.* Hæc de fideicommissis quod ad Codicillos, hos coram testibus non specialiter rogatis facere possunt §. 6. *F. de test. ord. ibique Vinn. l. 20. §. 6. ff. q. test. fac. possunt.*

CAPUT QUARTUM.

*De Virginum successione tam ex Testamento,
quam ab intestato.*

§. I.

*De portione
legitima.*

Superest, ut ad earum successionem tam ex testamen-
to, quam ab intestato promoveamus pedem. Ad legi-
timam Parentum portionem quod attinet filia Virgo
juxta Juris communis regulas pari jure ac æquitate cum
masculo filio fruitur tum circa acquisitionem bonorum

ex

ex testamento tum circa ipsam testamentariam dispositionem: his præmissis facile apparebit, filiam a parentibus necessario esse aut heredem instituendam, aut nominatim exheredandam *Nov. 115. c. 3. ibique Gothofr.*

I I.

Dum ergo filia virgo a parentibus non potest exheredari nisi meretrix sit, recte nobis objiciet aliquis, an virgo amore vehementi in Juvenem capta spe futuri matrimonii copiam sui faciens, meretrix sit, atque ob id exheredari queat. Hoc cum *Joh. fabro in §. soror. F. de inoff. test. Menoch. de arb. Jud. l. 2. cent. 4. c. 322. n. 3. & wander Meulen for. consc. part. 3. quest. 4.* negamus, quia meretrix ea tantummodo dicitur, quæ quæstum corporis facit *l. 4. §. 2. ff. de his qui not. inf. l. 43. §. 5. 6. 7. ff. de R. N.* non ite:n quæ amoris causa uni tantum amanti inservit: adde eam quæ coacte se prostituit meretricem non videri nec turpem personam *l. 5. C. ad l. Jul. de adult.* Adjungunt viri, quos laudavi, plures alias rationes, quas missas facio; neque enim ejus sunt roboris ut quæstionem adfirmant.

An Virgo sui copiam amanti faciens meretrix sit.

I I I.

Quod ad legata iis relicta Virgines a Maribus multum discrepant, illudque singulare obtinent, quod licet post annum completum duodecimum incipiat earum pubertas, in legato tamen quoad pubertatem usque alimenta legata sunt, pietatis alimentorumque intuitu ad annum decimum octavum extenditur *l. 14. §. 1. ff. de alim. & Cib. leg.*

Jus circa alimenta legata.

I V.

Quomodo Virgines ad delationem bonorum ab intestato veniunt, paucis ut moneamus nostræ institutionis

Harum successio ab intestato.

ordo suadet. Filiae autem, si justo ex matrimonio sint natae, aequales partes ab intestato accipiunt *l. 14. & l. 15. Cod. de leg. her. Nov. 118. c. 1.* in allodialibus, secus est in feudis *Struv. in synt. F. feud. 9. 8.* Non autem hoc intelligendum de filiabus illegitimis, quae a matre concubina sunt susceptae: Illae quidem Matri, omnibusque per lineam maternam adscendentibus succedunt *l. 2. §. 8. ff. unde cogn. l. pen. Cod. ad SCtum Orph.* non vero Patri *Nov. 89. c. 12. inf.* quod secus infiliabus ex damnato coitu natis *l. ult. Cod. de nat. lib. l. 5. ff. de in jus voc. l. 8. ff. unde cogn. l. 2. §. 2. ff. ad SCtum Tertull.* quibus jure civili nec patri nec matri succedere, nec alimenta poscere jus est.

F I N I S.



COROL:



C O R O L L A R I A.

*Non dantur aliæ justæ exheredationis
causæ, quam quæ Justinianus expres-
sit in Nov. 115. c. 3. nisi juris intel-
lectu sint eædem.*

I I.

*Maritus, stante matrimonio, fundi dota-
lis dominus est.*

I I I.

*Legatarii verbis tantum conjuncti, non
gaudent jure accrescendi.*

I V.

*Venditor, si copiam tradendi habet,
præ*

*præcise tenetur ad tradendam rem
venditam, non vero liberatur præ-
stando id quod interest.*

V.

*Non dantur actiones mixtæ ratione ori-
ginis.*

VI.

*Suspectus iudex, nisi allegatione & pro-
batione, removeri nequit.*